



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Manuale Sodalitatis B. Mariae Virginis. siue Exercitium Spirituale Christianae Pietatis

Véron, François

Coloniae Agrippinae, 1505 [i. e. 1605]

5. Considerat perelegans de B. virg.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46577](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46577)

fluens? Tādem excipitur à Sanctissima Trinitate beneuolentia incredibili, & in parato sibi folio, coronata, & totius cœlestis curiæ domina, Reginaque declarata, ad filij dexteram collocatur, coram ea Sanctis omnibus coronas suas deponentibus, & in Dominam, principemq; suam accipientibus.

In colloquio eam admirare, in Dominam tuam accipe, & pete quæ suggeret spiritus tanta rerum magnitudine inflammatus.

Pater noster. Aue Maria.

PARS QUINTA.

CONSIDERATIO, AC MEDITATIO *per elegans de B. Virg. deipara, diebus Dominicis, vel Sabbathinis, vel aliàs sæpius, ab eius cultoribus vsurpanda.*

F Acto signo Crucis, Orationeq; præparatoria (de qua sub initium partis antecedentis aliquid diximus) imaginaberis B. Virg. Mariam adstare tibi, Solis instar, cui inclinando te, exhibebis ex intimo corde reuerentiam, procedesque ad se-

D 7 quen-

quentia puncta mente, & animo tecum ipse pertractanda.

1. Considerabis post Christum Dominum, gloriosâ virgine Mariâ, quæ plena est gratia Dei, sicut paradysus terrestris, floribus & herbis odoriferis ornata, beatius, aut melius esse nihil: talem omninò esse, qualem decebat eam, quæ domicilium erat futura altissimi, Deique mater.

2. Considerabis B. Virginem multa habere priuilegia inexplicabilia; illud præcipuè; quòd & virgo sit, & mater Dei: Secundo, quòd ab omni peccato immunis, nec veniale quidem toto suæ vitæ tempore commiserit: tertio, vbi mortua est, quomodo cum corpore & anima in cœlum assumpta, super omnes choros Angelorû, & quicquid in cœlo & terra continetur, sit exaltata.

3. Considerabis ordinem vitæ ipsius fuisse sanctissimum; nam præter deuotissimas suas orationes, quas assiduè ad Deum fundebat, præter quotidianam cum Angelis conuersionem, id quoque studiosissimè agebat, vt in omnibus exercitiis suis, siue domesticis, siue externis publicis aut priuatis, cor suum & mentem in Deo semper haberet defixam.

4. Considerabis ea quæ frequentius à Deo solebat petere: primò enim petebat,

vt

vt Deum nosse posset, & amore eundem cunctis rebus anteponeus, diligeret quoque proximum, iuxta voluntatem Dei. Deinde petebat humilitatem, & Obedientiam tam erga Deum quàm erga homines, tanquàm duas præcipuas virtutes, ac fundamenta aliarum omnium.

5. Considerabis beatam Virginem cuiusdam animæ piæ reuelasse, se tot virtutes, ac gratiam tantam non potuisse acquirere sine multis orationibus & lachrymis; & dona cęlestia non intrare in animam sine precibus assiduis, & carnis mortificatione.

Denique facies colloquium ad eandem virginem, humiliterque ab ea petes, vt præter alia, impetret tibi à Deo profundissimam humilitatem, firmam tum animi tum corporis castitatem, feruidamque sui caritatem; extirpetque in te vitia contraria omnia.

Tum subiunges Pater & Aue; vel hymnum, Aue maris stella; vel Litanias de beatissima Virgine Maria.

PARS